



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

II. An proprietates personas constituentes sint relatiuæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

Etis; coalescit enim, non ex proprietate vnius, & ex proprietate alterius personæ, quæ à parte rei distinguuntur, sed ex ratione communi & propria, quæ in Deo sunt vnum re, virtualiter tantum, & conceptu distincta.

18. Ad quintam negatur Consequentia: quia loquendo de substantia, quæ est essentia absoluta, tota communicatur filio: loquendo verò de substantia seu entitate, quæ est paternitas, tam falsum est, eam Patrem communicare Filio formaliter, quàm Patrem non esse alium à Filio. Nec tamen inde sequitur, partem tantum substantiæ Patrem communicare Filio, sed tantum illi communicare essentiam absolutam, non communicata personalitate, non per diuisionem essentia à propria personalitate, à qua, illam Filio communicando, non separat: sed per relationem oppositionem, quia seipsa remanet distincta à personalitate Filij, sine vlla partitione, aut diuisione substantiæ communis à propria.

19. Ad sextam negatur sequela. Nam quamuis Pater aliquam realitatem habeat, quam non habet Filius formaliter, ratione cuius dicitur, & est alius à Patre; ratione tamen essentia communis dicitur Pater esse eadem res, quæ est Filius, & idem, vnumque cum Filio.

20. Ad septimam nego sequelam: quia Deitas conuenit relationi ratione essentia. Vnde sicut illa non multiplicatur ad multiplicationem relationum; ita nec dici possunt in Deo tres Deitates, sicut nec tres essentia. Quod si quis urgeat. Relatio diuina, etiam ratione præcisa ab essentia est DEVS, quia vt sic præcisa adhuc est perfectio increata & à se. Respondendum erit relationem, vt sic ab essentia præcisam, non esse formaliter Deum, sed perfectionem Dei, quia Deus dicit perfectionem simpliciter simplicem, & fundamentum, seu plenitudinem omnium perfectionum, quam non dicit relatio sic concepta. Verum sicut huiusmodi præcisio non est in re ipsa, sed tantum per intellectum; ita quod diuina relatio Deus non fit, non est in re ipsa, sed in nostra tantum apprehensione.

21. Instabis. Ergo hæc relatio sic concepta erit creatura, cum inter Deum & creaturam non cadat medium. Respondeo negando consequentiam. Nam licet in re inter Deum & creaturam non cadat medium, cadit tamen in nostra conceptione, quæ ab vtroque aliquid præscindere possumus, & considerare rem illam sub præciso dumtaxat conceptu talis, vel talis perfectionis: quanquam res ipsa concepta, quæ nostræ apprehensioni respondet, creator aut creatura sit, necesse est. Quamuis responderi etiam possit, quod talis relatio sic concepta non sit formaliter creator, quia hinc dicit plenitudinem omnium perfectionum, sed sit perfectio creatoris.

22. Ex dictis inferitur, quid dicendum sit de illis propositionibus, quas supra con-

cessit Gregorius: *Pater per essentiam est distincta persona à Filio. Pater paternitate est eadem essentia cum Filio*: nam quamuis essentia, & paternitas sit vna res simplicissima; quia tamen in ea formalissimè est perfectio absoluta naturæ, & respectiua personæ, non minùs quàm si illæ re ipsa distinctæ essent; falsæ sunt huiusmodi propositiones, non minùs, quàm si illæ fierent de re continente vtramque perfectionem, à parte rei distinctam. Nam per has propositiones significatur, Patrem per id formaliter distingui à Filio, quo est idem formaliter cum Filio; & per id formaliter esse vnum cum Filio, quo formaliter distinguitur à Filio.

Gregorius.

SECTIO II.

An proprietates Personas constituentes sint relatiuæ?

33. **P** RIMA sententia est Ioannis de Ripa, & Guilielmi Parisiensis Episcopi apud Carthusianum in 1. dist. 26. quæst. 2. quam vt probabilem defendit Scotus in 1. dist. 26. asserentium, personas Diuinas constitui & distingui proprietatibus absolutis. Probat primò Scotus, quia omnis relatio aliquid referre debet, sed hoc non potest esse natura, quia hæc non distinguitur à termino ad quem relatio ipsa refert; non ipsa relatio, tum quia relatio non refertur, nec distinguitur, sed supponit extrema distincta; ideo enim, teste Philosopho 5. Metaphysicorum cap. De eodem, identitas non est relatio realis, quia non supponit extrema distincta realiter: tum quia omne relatiuum præsupponitur prius natura, quàm referatur per ipsam relationem; atqui hoc in diuinis non est natura, sed suppositum: igitur suppositum præsupponitur ad relationem: ergo non potest ea formaliter constitui; quia nullum prius constitui potest suo posteriori. Vnde August. 7. de Trinit. c. 6. docet, personam Patris non ad Filium, vel ad Spiritum sanctum, sed ad se dici.

Ioannes de Ripa.
Guilielmus Carthus.
Scotus.

24. Secundò. Omnis relatio terminatur ad absolutum. Sed terminus relationis vnius personæ Diuinæ est alter à persona, & non essentia, quia hæc sicut non refertur, ita nec terminat relationem ad se: ergo erit persona: igitur persona terminans relationem alterius personæ Diuinæ, est absoluta.

Aristoteles.

25. Tertiò. Originans est prius originato: sed relatiuum nõ est prius, sed simul suo correlatiuo. Ergo suppositum Diuinum nõ constituitur in ratione personæ originatis per relationem. Confir. Si personæ Diuinæ essent relatiuæ, nihil aliud esset Patrem originare Filium, quàm Patrem habere Filium, vt correlatiuum sui: sed Pater ex eo, quod Pater est, circumscripta omni origine, habet Filium vt correlatiuum sui; cum in nullo instanti naturæ, aut originis intelligi possit absque Filio. Etenim

sola paternitate posita, & omni actione circumscripta, necessarii ponitur filio, ut correlatio opposita paternitati. Igitur si Pater sola paternitate constitueretur in ratione personæ, ex sola natura paternitatis, absque ulla origine haberet Filium, ut correlativum sui.

26. Quartò. Relatio non potest originari, nisi aliquo absoluto prius originato; quia teste Philosopho 5. Physic. *Ad aliquid non est per se motus*: ergo persona Divina, quæ primò originatur, non potest esse relatio, sed aliquid absolutum, ad hoc ut sit primus terminus originis.

27. Quintò. Si persona producta esset relatio, cum omne relatum naturaliter respiciat suum correlativum, æquè naturaliter Spirator respiceret spiratum, ac generans generatum: ergo non erit duplex productio, una per modum naturæ altera per modum voluntatis: quia non est maior ratio, cur potius Filius, quàm Spiritus sanctus producat per modum naturæ: cum uterque producat ut correlativum producentis.

28. Sextò. Suppositum præcedit actionem, quia res prius est, quàm operetur: Sed relatio est simul natura, & notitia cum correlatione, quia nequit esse aut intelligi sine illa. Ergo nequit Pater in ratione suppositi paternitate constitui; alioqui Filius præcederet suam generationem, nam in eo signo intelligeretur Filius esse, in quo intelligeretur esse ipsum suppositum Patris: atqui si suppositum Patris constitueretur paternitate, præintelligeretur generationi: igitur Filius ut correlativum Patris præintelligeretur suæ generationi; proinde Filius præintelligeretur esse, antequam produceretur.

29. Septimò. De ratione suppositi est incommunicabilitas: ergo si paternitas constituit primum suppositum, oportet ut ei repugnet communicabilitas: at ei non repugnat communicabilitas: tum quia, cum paternitas non sit infinita, non est de se hæc; omnis autem incommunicabilitas supponit singularitatem. Tum quia omnis relatio æqualiter se habet ad essentiam; ergo aut omnis est incommunicabilis, aut nulla, quia omnem communicabilitatem, aut incommunicabilitatem habet ab essentia: atqui non omnis relatio incommunicabilis est, ut constat de spiratione activa, quæ Patri & Filio communis est. Tum quia si per impossibile productio Spiritus sancti præcederet generationem Verbi, paternitas esset communis Patri, & Spiritui sancto, sicut modo communis est spiratio activa Patri & Filio; quia tunc uterque per eandem intelligentiam communem, & vim generativam gigneret Filium: non secus, ac nunc Pater, & Filius per eandem volitionem, & vim spirativam communem spirant Spiritum sanctum.

30. Octavò. Relatio est alterius generis ab absoluto; ergo nequit cum eo constituere unum per se: ideo enim in rebus creatis relatio non constituit unum per se cum absoluto,

quia est alterius generis. Confirmatur. Quia prima identitas est naturæ cum proprio supposito: ergo illa debet esse maximè una; ergo non debet includere aliquid alterius generis: alioqui maior esset identitas, & unitas naturæ creatæ cum proprio supposito, quàm increatæ cum suo, quia illud est absolutum, hoc respectivum.

31. Nonò: Persona est intellectualis natura individua substantia, ut omnes Theologi cum Boëtio docent: quæ definitio competit personæ Divinæ: atqui in hac definitione nulla importatur relatio: igitur persona Divina non constituitur relatione. Hanc eandem sententiam probabilem putat Michael Palatius in 1. distinct. 26. disputat. unica conclus. 1.

32. SECUNDA sententia est S. Thomæ 1. part. quæst. 40. artic. 1. & 2. Sylvi ibid. & reliquorum Scholasticorum cum Magistro in 1. distinct. 26. affirmantium, Personas Divinas constitui & distingui relationibus. Unde oppositam sententiam Ioannis de Ripa, & Guilielmi Parisiensis erroris insimulant: quare illam ad minimum errori proximam existimat Didacus Ruiz de Trinit. disputat. 87. sect. 1.

33. Hæc sententia colligitur primò ex Concilijs, & Patribus passim docentibus, personas Divinas relationibus distingui, & constitui. Ex Concilio Toletano XI. *In relationibus personarum nominibus Pater ad Filium; Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque refertur*. Et paulò post ita subdit: *Ergo hoc solo numero insinuat quod ad invicem sunt; & in hoc numero caret, quod in se sunt*. Ex Florentino sessione 18. *Ita ut in nullo, inquit, alio differat, nisi quod Pater est Pater, Filius est Filius*.

34. Et sanè quoad distinctionem personarum sentit Vasquez disputatione 158. cap. 3. hanc sententiam ad fidem accedere; quoad constitutionem verò non item; quia putat, in Divinis principium constitutum non esse idem cum distinctione. Sed quidquid sit de hoc, certè in doctrina Scoti idem est principium distinguens, & constituens in Divinis. Et Concilia ipsa non modò affirmant unum, sed etiam docent aliud: *Persona*, inquit, citato loco Florentinum, & sessione 19. in fine, *constat ex Divina substantia, & proprietate*. Et Oratione pro Unionem: *Prius tamen, inquit, & principaliter secundum modum intelligendi per relationes distinguuntur, per quas etiam constituuntur Divina persona*. Ergo non tantum relationes personas Divinas distinguunt, sed etiam constituunt. Confirmatur, nam citata sess. 18. Concilium docet, nil aliud in Patre esse, præter essentiam communem & paternitatem. Et in decreto ipso Pontifex affirmat, Patrem omnia Filio communicare, *præter esse Patrem*: si autem persona Patris constitueretur aliqua proprietate absoluta, non tantum in eo esset essentia communis, & paternitas; neque omnia communicaret Filio, præter esse Patrem; si quidem non communicaret illi proprietatem absolutam, quæ consti-

Boëtius.

Palatius.

S. Thomas.
Sylvius.
Scholastici
cum Magistro.Ioan. de Ripa
Guilielmus

Ruiz.

Conc. Toletanum 11.

Conc. Flor.

Vasquez.

Scotus.

Conc. Flor.

tueretur

ueretur persona incommunicabilis ceteris suppositis.

35. Secundo probatur predicta sententia a priori. De ratione personæ est incommunicabilitas: nulla autem perfectio absoluta in Deo incommunicabilis est: ergo nulla perfectio absoluta potest personas constituere. Maior cum consequentia constat. Minor probatur, quia omnis perfectio absoluta dicit conceptum simpliciter simplicem, cui non repugnat communicari; omnis quippe incommunicabilitas aut est ex limitatione, qua res limitatur ad certum genus perfectionis, aut ex oppositione relatiua: prior, cum imperfectionem inuoluat, in Deo esse non potest: ergo necessarium erit posterior. Non igitur possunt personæ Diuine absolutis proprietatibus constitui. Confirmant hoc duo illa vulgata axiomata Theologorum, alterum desumptum ex Boetio, alterum ex Anselmo. Primum, est *sola relatio Trinitatem multiplicat*. Secundum est, *In Diuinis omnia sunt unum, ubi non obuiat relationis oppositio*. Confirmatur ad hominem, quia cum in sententia Scoti relationes Diuinae ex natura rei distinguantur, non solum ab essentia, à qua etiam distinguuntur ipsæ personalitates absolutæ, sed etiam à personis, essent verè & propriè accidentia, non modò quia adueniunt personis perfectè constitutis, sed etiam quia adueniunt, ut formaliter distinctæ.

36. Vna hic superest non dissimulanda difficultas, quæ etsi à nemine agitur, mihi tamen graue negotium facessit. Est autem hæc, quia non videtur repugnare; personas Diuinas constitui proprietatibus absolutis, & simul referri proprietatibus relatiuis aduenientibus personis iam constitutis per suas proprietates absolutas. Assumptum probò: nam de facto Pater & Filius constituuntur in ratione personæ per paternitatem & filiationem, per quas tamen non opponuntur relatiuè Spiritui sancto. Nam per eam tantum rationem Pater & Filius opponuntur relatiuè Spiritui sancto, per quam constituuntur proximum principium productiuum illius: atqui Pater & Filius, non constituuntur proximum principium productiuum Spiritus sancti per paternitatem & filiationem, sed per virtutem spiratuiam: ergo per hanc, & non per paternitatem & filiationem relatiuè opponuntur Spiritui sancto. Confirmatur, nam ideo per spirationem actiuam Pater & Filius non opponuntur inter se in ratione Spiratoris, quia per spirationem nec Pater constituitur proximum principium Filij, nec Filius Patris.

37. Dices, rationem discriminis esse, quia licet Pater & Filius per paternitatem & filiationem non opponantur Spiritui sancto in ratione relationis, aut originis, vel virtutis productiue; opponuntur tamen in ratione hypostasis & principij producentis ut *Quod*: per spirationem verò actiuam nullo pacto Pater & Filius in ratione Spiratoris opponuntur inter se.

38. Sed contrà, nam idem dici posset de

proprietatibus illis absolutis, nempe quod per illas personæ Diuinae opponerentur inter se, non in ratione relationis, aut originis, vel virtutis productiue; sed in ratione hypostasis & principij producentis ut *Quod*. Nam ita se haberent proprietates illæ absolutæ in ratione constitutiua personarum, sicut de facto se habet paternitas & filiatio in ratione constituendi Patrem & Filium: Ergo sicut paternitas & filiatio distinguunt Patrem & Filium à Spiritu sancto, licet eos non opponant relatiuè formaliter, neque in ratione producentis ut *Quo*, neque in ratione originantis, aut referētis, sed tantum in ratione hypostasis, & principij productiui ut *Quod*: ita posset proprietas absoluta distinguere vnā personam ab alia, solum in ratione hypostasis & principij producentis ut *Quod*; et ita illam non opponeret in ratione producētis ut *Quo*, aut originantis, vel referētis. Aut certe assignanda est ratio, cur potius vna ratio respectiua possit in Diuinis constituere suppositum incommunicabile, non solum respectu personæ relatiuè oppositæ, sed etiam respectu personæ non relatiuè oppositæ, & non possit ratio aliqua absoluta constituere suppositum incommunicabile respectu cuiuscunque personæ. Nam quod de facto suppositum Diuinum constituatur incommunicabile personæ relatiuè oppositæ non tollitur, quin re ipsa constituatur incommunicabile etiam alteri personæ non relatiuè oppositæ; ergo ex conceptu suo non repugnat, ut possit suppositum Diuinum constitui incommunicabile per proprietatem absolutam. Confirmatur, quia posset à persona Patris auferri respectus ad Filium, & relinqui sola ratio per quam hypostaticè opponitur Spiritui sancto: sed in tali casu persona Patris maneret constituta in ratione personæ distinctæ à persona Spiritus Sancti, & non per proprietatem relatiuam, cum illa supponeretur iam sublata.

39. Ad propositam difficultatem Respondeo, magnum esse discrimen inter perfectionem diuinam absolutam & respectiuam: quia perfectio absoluta, cum ex conceptu suo dicat perfectionem simpliciter simplicem, & infinitam in omni genere, nullam ex natura rei distinctionem admittere potest à quacunque alia perfectione, nam hoc ipso non esset infinita simpliciter, & in omni genere. At verò perfectio respectiua, cum ex suo conceptu quidditatiuo non dicat perfectionem simpliciter infinitam & in omni genere, sed in vno dumtaxat; Paternitas enim solum dicit perfectionem infinitam in genere paternitatis, filiatio in genere filiationis, spiratio in genere passiuæ processionis; non solum admittit realem distinctionem à sua opposita correlatione, passiuæ origine, & termino productio formaliter; sed etiam ab opposita correlatione passiuæ origine, & termino productio radicaliter; quia hoc non pugnat cum natura ipsa perfectionis respectiue, limitatæ ad vnum tantum genus perfectionis. Ergo quamuis paternitas & filiatio non re-

Boetius.
Anselmus.

spiciat spirationem passiuam, vt oppositam correlationem, vt originem passiuam, & terminum productum formaliter; (nam sub hac ratione formali ista respiciuntur tantum à spiratione actiua, siue à Patre & Filio, vt spiratore formaliter,) tamen respicit illa radicaliter, & vt principium *Quod*. Quoniam paternitas & filiatio, quæ paternitas & filiatio Diuina est, essentialiter exigunt respicere radicaliter, & vt principium *Quod* media spiratione actiua, vt principio *Quo* Spiritus sancti processionem, atque adeo ab illa realiter distinguui. Vnde sola radicalis oppositio facit in Diuinis, vt vna relatio realiter distinguui possit ab alia.

40. Constat autem hæc radicalis oppositio, vt tale suppositum essentialiter exigat proximum principium productiuum talis termini, & præterea vt sit illi hypostaticum complementum ad talem terminum producendum. Sic Pater & Filius, vt talia supposita sunt, essentialiter exigunt proximam vim productiuam Spiritus sancti; suntque hypostaticum complementum ad huiusmodi terminum producendum. Defectu huius radicalis oppositionis spiratio actiua non distinguitur à Patre & Filio, quia nec Pater exigit illam, vt proximam vim productiuam Filij, nec contra ipsa spiratio actiua exigit paternitatem, vt hypostaticum complementum ad producendum Filium. Siquidem Pater supponitur completè constitutus tam in virtute producendi, quam in ratione subsistendi in ordine ad Filium per solam paternitatem. Defectu eiusdem radicalis oppositionis Filius non distingueretur à Spiritu sancto, in casu quo illum non produceret: quia si illum non produceret, non exigeret spirationem actiuam, vt proximam vim illum producendi, mediante qua illi opponeretur, vt formale correlatiuum.

41. Ex dictis manet soluta proposita difficultas. Solum superest respondendum ad vltimam confirmationem. Ad quam dico, in ea hypothese, in qua ratio respectiua auferretur à Paternitate, eo ipso destructum iri perfectionem respectiuam, quæ sola est capax radicalis oppositionis, propter limitationem ad ad vnum tantum genus perfectionis. Nam in eo casu perfectio respectiua paternitatis, eo ipso, quo ab illa auferretur respectus ad Filium, euaderet perfectio absoluta, ac proinde incapax radicalis oppositionis ad personam Spiritus sancti. Nam eo ipso tunc fieret perfectio infinita & illimitata in omni genere; atque adeo cum nulla alia perfectione posset habere oppositionem. Ad rationes oppositæ sententiæ respondebimus sectione sequenti.

SECTIO III.

Sub quaratione Diuina relationes constituent personas.

42. **R**atio dubitandi est, quia relatio paternitatis supponit personam Pa-

tris iam constitutam: igitur non potest ipsam constituere. Consequentia patet, quia nullum posterius constituere potest suum prius. Antecedens probatur, quia relatio paternitatis consequitur actionem generationis. Generatio autem supponit personam ad generandum constitutam. Quæ difficultas solum militat in persona Patris, nam reliquæ personæ non præcedunt, sed consequuntur originem, ad quam consequitur relatio ipsa personalis, vt immediatus terminus ipsius. Propter hanc difficultatem variant Scholastici in assignanda proxima & formali ratione, sub qua Diuinæ relationes personas constituunt.

43. PRIMA sententia est Bonauenturæ in 1. dist. 26. q. 3. affirmantis, Diuinas personas constitui & distinguui relationibus sub ratione originis. Fundamentum est, quia circumscripta origine, impossibile est in Diuinis intelligere personarum pluralitatem; quia licet in Deo idem sit originari, & ad alium referri: id tamen quod formaliter constituit personam, est origo. Antecedens probatur, quia sublata origine per intellectum, tollitur relatio in origine fundata: contra verò sublata relatione, non necessario tollitur origo: igitur origo, non relatio formaliter constituit personas Diuinas.

44. Hanc sententiam impugnat S. Doctor 1. p. qu. 40. art. 2. hoc vnico fundamento, quia principium constitutis concipi debet vt intrinsecum & permanens in re ipsa constituta, cum debeat concipi vt forma dans esse rei constitutæ. Origine autem non concipitur vt ratio intrinseca & permanens in re ipsa originante, vel originata; sed vel tanquam via egrediens ab originante, si sit actiua, vel tanquam via ad originatum, si sit passiuam. Ceterum negari non potest, per origines, tanquam à posteriori argui distinctionem personarum. In quo sensu interdum Patres docent, personas Diuinas distinguui per origines, hoc est à posteriori & quoad nos.

45. SECUNDA sententia est Caietani 1. p. qu. 40. art. 4. asserentis, personam Patris constitui formaliter sub expressa ratione paternitatis, vt concepta, non vt exercita; quia vt concepta præcedit generationem, vt exercita verò subsequitur. Hoc modo saluat, quo pacto eadem relatio personam constituat & referat: constituit, quatenus in esse hypostatico relatiuo ordine rationis præcedit generationem; refert, quatenus in esse relatiuo generationem exercitè subsequitur. Est autem relatio vt concepta & exercita in doctrina Caietani eadem forma indiuidualis atoma, importata secundum duplicem modum significandi diuersum & secundum esse constitutiuum personæ, & secundum esse relatiuum eiusdem, ita vt vtrumque præstet relatio ipsa formaliter, vnum vt concepta ante generationem in esse relatiuo hypostatico, alterum vt exercita post generationem in esse relatiuo exercitè.

46. Sed contra hanc sententiam Caietani primò: quoniam formam exercere suum a-

Scholastici variant.

Bonauent.

S. Thomas hanc opinionem impugnat.

Caietanus.

ctum